

De contusione : theses anatomicae et chirurgicae : has theses, Deo juvante & praeside M. Petro Sue, secundus ... / tueri conabitur Raymundus Cathelot.

Contributors

Cathelot, Raymond.
Sue, P. 1739-1816.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1784.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tbp2b3es>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE CONTUSIONE.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

*HAS THESES, Deo juvante & Praefide M. PETRO SUE, secundo,
antiquo Collegii Præposito & nunc Quæstore, antiquo Scholarum
Practicarum Anatomie & Chirurgie Professore, Regiæ Aca-
demie Chirurgie Consiliario, in generali Parisiensi Prefecturâ
Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspelliensis,
Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis & Burdigalensis
Socio; tueri conabitur RAYMUNDUS CATHELOT, è Castro-
Geloso, in præclaris Artium Facultatibus Parisinâ ac Bur-
digalensi Magister.*

*Die Sabbati 18. mensis Decembris, anno R. S. H. 1784,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

MAGISTERII LAUREA.




*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgicæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.*

M D C C. L X X X I V.

ALLEGORIA
DE LA VIDA

ALLEGORIA
DE LA VIDA



D. O. M.
DE CONTUSIONE.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

CONTUSIONUM sedes frequentissima cutis : dividitur in cuticulam sive epidermidem & cutim propriè dictam.

Cuticula est tenuis admodum & translucida pellicula , sensa

A

expers, cutim adèque totum reliquum corpus exterius obvolvens. A subjectâ cute non discernitur nisi separata. Separatur autem facillimè solidis aut fluidis inusta , item per phænigmos.

Sit-ne cuticula ex fibris certo ordine contextis composita , an potius oriatur à materiâ viscosâ , è subjectis partibus exhalante & per compressionem corporum ambientium coercitâ , meritò dubitatur. Naturæ legibus , in aliarum partium structurâ statutis , illud quidem magis consentaneum appetet ; hoc verò probare videtur promptissima ejusdem cuticulæ in morbis cutaneis regeneratio.

Nulla vasa epidermidem perreptantia sensus assequitur : vel , si adsint , unius vasa alterius vasis perturbantur.

Cuticulæ hi sunt usus : 1º. ut cutem ab aeris injuriâ tueatur ; 2º. ut obturet vasorum cutis orificia , ne humores serosi jugiter per cutim exfudent.

Cutis est pellis crassa , ex fibris albicantibus contexta , quæ juxta Stenonem à tendinibus partium subjectarum continuantur. Hisce addendi innumeri nervorum , arteriarum , & venarum ramusculi , à majoribus ramis vicinis enati.

Copiosissimis perforatur cutis foraminibus , quorum alia majora , uti oculorum , natum , &c. Alia minora , Pori dicta , clarissimè in sudantibus deprehenduntur , præcipue si humor cutim affatim irrigans abstergatur , siquidem tunc videntur subjectâ è cute illicò scaturire guttulæ sudoris innumeræ.

Duplicis autem generis pori in cute per microscopium percipiuntur , majores scilicet , è quibus pili emergunt , & minores qui , prioribus numero longè superiores , omnia spatia iisdem interjecta creberrimis punctis perforant.

Observat recte Stenon singulis poris suam glandulam subjacere , ex quâ exurgit vasculum sudoriferum , in exteriori cutis superficie definens. Malpighius ad quamcumque glandulam in-

5

super deduci vult arteriam & nervum, quibus indubie addenda est
vena. Inserviunt haec glandulae ad humorem serosum seernendum,
pro cutis & cuticulae irrigatione; inde insensibilis & continua
transpiratio, & sudor, quando accedente causa insolita uberior
erumpit humor.

In parte cutis exteriori, detracta cuticula, statim fere offert, ut
annotat *Malphigius*, corpus quoddam reticulare, in cuius crebris
foraminibus continentur non solum dicta sudoris vascula, sed in-
super innumeræ ferè papillæ pyramidales, quas esse dicit vir in
Anatomia clarissimus expansiones nervosas, proprium tactus
organum omnino constituentes.

Cutis sextuplo ferè cuticula crassior: non autem in omni
corporis habitu, siquidem in capite crassissima est, deinde in
collo: at ultra mediocritatem tenuis in lateribus, tenuior in
volâ manus, in labiis vero tenuissima. Mollior præterea &
rerior est in facie, pene & scroto, durior in cervice, dorso
& plantis pedum.

Usus cutis sunt: 1º. omnes corporis partes ut tegat;
2º. oculis, naribus, ore, &c. congruos ut assignet terminos;
3º. ut juvet corporum extraneorum apprehensionem; 4º. ut ex-
peditionem sudoris transitum reddat, & continuo insensibilem
transpirationem suppeditet; 5º. denique ut sit organum tactus.

EX CHIRURGIA

Contusio est quâdam in corporis parte lœsio, communium
absque tegumentorum divisione, ab instrumento quocumque
duro & obtuso.

Collisi vulneris nomen obtinet contusio, si in parte contusa
notabilis fiat & exterior continui solutio, cutis scilicet & cuticulae.
Contusione accidit cuilibet ut innumeræ venulæ, arteriolæ, &

fibrillæ distrahantur atque dilacerentur. Ex disruptis exiliunt vasis contenti liquores, & in loca aliena vicinaque ruunt. Hæc liquidorum extræ minorâ vasa sub integumentis effusio Ecchymosis seu sagillationem constituit. Hæc semper maculâ solitariâ, planâ aut parùm prominenti, colore nigricanti vel atro-rubro aut livescenti distinguitur. Indè unicum contusionis symptomæ pathognomonicum Ecchymosis, modò tamen ictu, impulsu, vel jaetu anteà percussa fuerit pars, instrumentis sive quibuscumque retusis constricta aut compressa.

Contusionum, quas *Vexata Celsus* vocat, variæ agnoscunt species, Primo quidem in simplices & complicatas dividuntur. In prioribus, de quibus tantummodò hic agere mens est, partes molles atque externæ solæ collisæ sunt, dum in posterioribus partes quoque internæ cum variis accidentibus colliduntur. Inter simplices tamen contusiones alias aliis periculosiores etiam evadunt. Periculi gradum apprimè emetiri hoc opus, hic labor est. Qualis reipsa est contusio, haud semper talis appetet. Illa Symptomatibus licet gravioribus stipata, ut Cephalalgiâ, anorexiâ, nauseis, membrorum languore, &c. penè absque remediis sæpe disturbatur: Hæc contrâ, ubi vix livido vel nigricanti colore donatur cutis, brevi perniciem contusi clanculum orditur, nisi ignem cineri doloso suppositum ars exemplò suffocet.

Hoc quidem in contusione simplici raro evenire solet. Huic tamen qui succurrere omittetur, quia complicationis genus internè sæviens sub oculis non ponitur, ille procul dubio variis ægrum periculis objiceret. Plurima enim occurunt exempla apud *Bohnium*, *Techmeyerum*, aliosque, quæ docent contusioneim, etiam si minima laesio exteriùs non animadverteretur, sæpe sèpius hepar lienem aut aliud viscus confregisse. Quin immò compertum est contusiones quasdam, nullo equidem tūm in ex-

ternis tūm in internis partibus extante damni indicio , tamen necem induxisse.

Partium etiam lēsarum natura debilis aut delicatior contusionum periculum , vel de minimā causā , multūm augere potest. Mulierem vidit *Wanswieten* cui in eodem lecto dormiens filia cubito mammam contuderat : pāucarum septimanarum spatio tota mamma fit scyrrosa & mole immaniter auēta , in horrendum posteā cancrum evasit.

In omni contusionum curatione semper prospiciendum 1°. ut suffusi iidemque inspissati humores digerantur , 2°. & vel maximē , ut suppuratio & gangrena præcaveantur. Leviores simplicibus remediis curantur contusiones. Quot enim exempla puerorum in fronte ex lapsu contusorum , qui solā nummi argentei compressione , vel linteolis spiritu vini , aquā frigidā cum sale marino imbutis , tumore & fugillatione indē subortis feliciter expediti fuere? Tenuioris conditionis homines in vilissimo medicamento , in urinā recenti , neque id prorsū infeliciter , auxilium quærunt.

Ubi paulò graviōres factae sunt contusiones , nihil in his curandis efficaciūs censetur , quām herbarum traumaticarum interna simul & externa administratio. Vulgō eē usurpantur quæ ē montibus Helvetiæ , Genevensibus , & Arvernis nobis afferuntur , quæque in officinis venales prostānt. Legitima est illarum electio si à sagacibus Phytologis agnoscantur & prædicentur veronica offic. sanicula offic. ajuga sive chamæpytis , mas dioscoridis , hypericum , vinca major , centaurea benedicta , scordium , agrimonia eupatoria , betonica offic. achillea seu millefolium , asplenium-scolopendrium , gnaphalium montanum , tussilago farfara , plurimæque aliæ herbæ quas hic recensere longius foret.

Antequam ægro dentur hæ plantæ , per infusionem calidam

instar *thee* parati debent. In aquæ bullientis libris tribus per horæ circiter quadrantem infundantur ad manipulum - semis : dein splenia hujuscे liquoris calidi parte unâ imbuta contusis partibus applicentur; partem verò alteram in eodem ferè instauri cyathim ebibat æger , saccharo paululùm addito. Ad aliquot dies remedii hujuscे usus protrahi debet.

Aliud medicamen quoque præstantissimum & longè simplicius contusis offerunt nigræ sambuci flores, cum juniperi communis baccis infusi. Ubivis ferè luxuriat utrumque. Illorum præparatio ut præcedentis conficitur, ususque præscribitur. Quâ autem dosi ? Parvi refert, dummodò statim post contusionem impendatur. En citam, tutam & jucundam encheiresim omnibus simpliciter contusis adhibendam ! Optatum semper conferet emolumentum, quando opportuna & promptior erit ejus administratio. Si semel incassum adhibeat, nihil mali fecisse tibi persuasum maneat.

Si quæ verò mox ita graves & periculosæ sint contusiones, ut nimia crux stagnantis copia digeri vix queat, necessarium utique videtur scarificare, ut vulgo loqui amant, & spleniis spiritu vini camphorato madidis partes lœfas obvolvere. Sic enim non solùm sanguis effusus atque stagnans ejicitur, sed suppuration, gangrena & alia quāmaxima accidentia præveniuntur, sanaturque æger

